mat, in libro prouidẽtiæ diuinæ ſcriptas eſſe omnes ſuas uagationes, omnes lachrymas, omnes iniurias quas pertuliſſet. Id qa certò ſibi perſuadet, ideò fert ęquo animo: Deumq; laudat, nihil dubitans auxilium illum laturũ oppreſſo. Sic eñ inquit: In quacunq; die inuocauero, ecce cognoui quòd Deus meus es tu. Vocat eũ Deum ſuũ. Itaq; & in mediis calamitatibus beatum ſe ſtatuit. Beatum enim populum eſſe, cuius Dominus Deus ſit, idem diuinus rex teſtatur. Cuius exemplo muniamus nos cõtra res quaslibet, diuinâ prouidentiâ, in rerum tum affluentia, tum inopia: in piorum calamitate, & in malorum proſperitate: in omni temporum uarietate, & fortunæ uiciſſitudine, ad Deum omnia moderantem reſpectemus: ex cuius uoluntate pendeant omnia: qui iam inde ab ipſa æternitate conſtituerit omni homini, & rei unicuique, & initia & fines, & omnes progreſſiones. Omnia igitur in bonam partẽ accipere diſcamus, qui Dei nutu ac permiſſu omnia euenire ſciamus. In rebus omnibus agendis ita nos geramus, tanquam Deum cogitationibus, ſermonibus & actionibus noſtris præſentem habeamus: ut certè eſt præſens, qui cœlum & terram implens, in omni loco contemplatur oculis ſuis bonos & malos. Hoc agentibus uita ſempiterna aderit: & illud cœleſtè regnum aduenier, quod eiuſmodi bonorum pleniſſimum eſt, qualia nec oculis uiſa ſunt, nec auribus audita, nec ulla cogitatione noſtra adumbrata.

Pſal. 33.

LIBRI DE PRAEDESTINATIONE & Prouidentia diuina FINIS.

mat, in libro prouidẽtiæ diuinæ ſcriptas eſſe omnes ſuas uagationes, omnes lachrymas, omnes iniurias quas pertuliſſet. Id qa certò ſibi perſuadet, ideò fert ęquo animo: Deumq; laudat, nihil dubitans auxilium illum laturũ oppreſſo. Sic eñ inquit: In quacunq; die inuocauero, ecce cognoui quòd Deus meus es tu. Vocat eũ Deum ſuũ. Itaq; & in mediis calamitatibus beatum ſe ſtatuit. Beatum enim populum eſſe, cuius Dominus Deus ſit, idem diuinus rex teſtatur. Cuius exemplo muniamus nos cõtra res quaslibet, diuinâ prouidentiâ, in rerum tum affluentia, tum inopia: in piorum calamitate, & in malorum proſperitate: in omni temporum uarietate, & fortunæ uiciſſitudine, ad Deum omnia moderantem reſpectemus: ex cuius uoluntate pendeant omnia: qui iam inde ab ipſa æternitate conſtituerit omni homini, & rei unicuique, & initia & fines, & omnes progreſſiones. Omnia igitur in bonam partẽ accipere diſcamus, qui Dei nutu ac permiſſu omnia euenire ſciamus. In rebus omnibus agendis ita nos geramus, tanquam Deum cogitationibus, ſermonibus & actionibus noſtris præſentem habeamus: ut certè eſt præſens, qui cœlum & terram implens, in omni loco contemplatur oculis ſuis bonos & malos. Hoc agentibus uita ſempiterna aderit: & illud cœleſtè regnum aduenier, quod eiuſmodi bonorum pleniſſimum eſt, qualia nec oculis uiſa ſunt, nec auribus audita, nec ulla cogitatione noſtra adumbrata.

Pſal. 33.

LIBRI DE PRAEDESTINATIONE & Prouidentia diuina FINIS.

REVERENDISSIMO VIRO D. IACOBO VCHANIO VVLA-dislauiensi Episcopo S.

ON ita pridem in Epistolam incidi, ampliß. Præsul, quæ non uulgare Stanislai Orichouij encomium continet. De quo cum inter familiares (ut fit) uerba facerem, multis id scriptum non satisfacere intellexi: non quòd eius autori Tulliana desit facundia, sed quòd in parum plausibili argumento uersari uideatur. Quis enim (inquiunt) adeò hebes est, qui non percipiat, eas laudes ab eo scriptas esse, qui uel nimio hominis amore cæcutiat, uel uehementer aduletur? Neutrum uerò mihi rationi consentaneum uisum est. Quippe nec authori epistolæ prudentia deest, nec ulla subest causa, cur Orichouio palpum debeat obtrudere: cuius fortunam adeò inclimatam esse non ignorat: quiq; nunc pristina uirtute amissa, ipsis calonibus atq; lixis seruiliter aduletur. Tertium igitur quippiam esse iudicaui, quod homini tantas laudes expresserit. Quod si diuinare licet, in eundem scopum collimauit uir bonus (quem ob eloquentiæ & Philosophiæ studium diligo) in quem & ipse Orichouius, qui nuper uestrum ordinem Dijs immortalibus adæquauit. Si enim Rhoxolanus ille apud hierarchicum ordinem gratiam inijt aliquam, minimè dubium est quin tanti encomiastæ laudatores in illius gratiæ societatem uenturi sint. Vnum illud doleo, non prius quæsiuisse hominem, quid uos de Orichouio sentiretis, quàm ipsum adeò pabis (ut aiunt) uelis in altum tolleret. Etsi enim illius ordinis propria ferè est philautia, neminem tamen eorum qui Orichouium audierunt, adeò malè sanum esse iudico, quem non earum laudum pudeat, quiq; impudentißimo adulatori grauiter non succenseat. Quid uerò adulatorem dico? An non potius uesanum & furiosum hominem uniuersus iudicabit orbis, ubi hoc Fricij nostri scriptum legerit? Nam quod ad leuißimam eius inconstantiam, temeritatem & maledicentiam attinet, eam nemo cordatus non detestatur. Nec desunt qui tantam insolentiam pœnis coercendam censeant: ut mirum planè futurum sit, nisi uir ille grande aliquod malum sibi tandem attrahat. Etsi uerò sua illa innata leuitate semper laborauit: tamen ex quo tempore coniugium inijt, nonnulla spes multorum animos erexerat, hominis industriam & facundiam Reip. tandem esse profuturam. At spem illam tetra hæc rerum facies nobis planè eripuit. Quamobrem tanti uiri fortunam & miserabilem casum doleo: licet minimè omnium ad me per-

 tineat,

tineat, utpote qui ad eorum castra defecerit, qui sacrosancta Christi dogmata ferro ac flammis insectantur. nec dubito quin iam tanti piaculi conscientia in hanc uesaniam sit prolapsus: hæc enim merces eorum est, qui agnitam ueritatem in iniusticia detinent, aut potius hostiliter oppugnant, ut in mentem reprobam agantur filiumq; Dei sibijpsis denuò crucifigant. Quibus horrendi post hanc uitā cruciatus parati sunt: tantoq; infœlicior est ea conditio, quod eorum scelus inexpiabile à diuinis oraculis pronunciatur: ut frustra nonnulli imperijs, tiaris, pedoq; confidere uideantur. Quare permoleſtum mihi est, intempestiuè ab illo celebratum esse Orichouium. Quem enim Lutheranorum & Sacramentariorum uictorem facit (ita enim Christiani per probrum à nonnullis dicuntur) Fricius noster hoc libello sic prosternit, ut turpiter in puluere iaceat: nec nisi palmodia honestè queat assurgere. Non deerunt (ut quidem auguror) qui iacenti manum porrigant, Friciumq; nouis libellis impetant: quæ iam animo Fricius uolutat auxilia, & sese ad omnem hostium impressionem sustinendam comparat. Quibus uerò armis pugnaturi sint Orichouiani, nouit Fricius. At ille conuicia, sophismata, & quicquid uani Rhetores nugantur, non metuit: prodibit in arenam Veritate armatus: nec ab eo tam auersa erit Minerua, quin & disertam linguam, & facundum calamum clienti suo concedat, ut de laudabili uictoria minimè quidem dubitet. Verùm, si quid ponderis meum consilium habebit, author sum utrisq;, ut ab armis discedant ciuilibus: nec intestina bella magis accendant, sed extinguant potius. Quippe non his remedijs uulnera religionis sanantur: nec hisce armis Christi regnum propagatur. Satis armorum est foris: quæ non nisi nostra concordia reprimi possunt. Qui igitur Remp. saluam cupit, & pugnas & pugnarum occasiones fugiat. Atq; ij quidem qui rerum gubernaculis præsunt, cauere debent, ne ciuilia incendia excitentur. Qua in re cum tua authoritas, Antistes prudentissime, multum ponderis sit habitura, danda tibi est opera, ne quis hic tuum officium meritò requirat. Etsi uerò te semper ea quæsiuisse non dubito, quæ ad Reip. salutem pertinere uiderentur, ita ut quæ tua erant, quodammodo neglexeris: te tamen admonendum putaui, ut des operam, ne in tua ditione posthac furiosi homines impunè in probos & doctos, ac de Rep. bene meritos debacchentur. Suscipe igitur & optimi & eruditissimi uiri, clientis tui, patrocinium: neq; eum improbis dilacerandum obijcias. Quod cum te ultrò facturum mihi persuaderem, eius cōtra iniustam uim defensionem, quam mihi legendam tradiderat, sub tuis auspicijs emittendam curaui: ut non modò inter nostros, sed inter exteros quoq; tua in bonis defendis uirtus appareat. Vale.

Salutis & amplitudinis tuæ studiosissimus, C. R.

ANDREÆ FRICII MODREVII NARRATIO SIMPLEX REI nouæ, & eiusdem pessimi exempli: simul & querela de iniurijs, & expostulatio cum Stanislao Orichouio Roxolano.

ANNO Christi Seruatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo primo, mense Martio, uenerat ex Synodo Varsauiensi episcopus Vuladislauiensis Iacobus Vchanius, uir nomine & celebritate maxima, Volboriũ, quæ ciuitas est ditionis suæ: cumq; eo unà Stanislaus Orichouius Roxolanus, facundus & eruditus uir. Quem egò pro benevolentia mutua, & pro studiorum in quibus uersamur cõmunione, & uidi libenter, & salutaui studiosè. Cumq; eo per dies aliquot conuiua eram Episcopi: & sermones serebamus cùm de literis, tum de rebus uarijs quæ se offerebant: ut fit inter amicos, qui rarius conueniunt, et habitant à se longissimè. Est enim mihi cũ Orichouio consuetudo non parua: & usus est ille semel & iterum opera mea rebus nonnullis conficiendis, quam ei certè præsti ti libenter. Cumq; unà uersaremur apud Episcopum totos dies, uoluit Episcopus, ut est acris sanctarum literarum amator, ut unà secum locos Theologiæ aliquot, de quibus hoc tempore controuersiæ sunt, in utramq; partem tractaremus. Fecimus id omnino quatriduũ. Quinto die, quædam à nobis disputata annotauimus: quisq; pro sua parte. nam & Episcopus ediderat singulare scriptum. Quæ tandem super mensam, permultis audienti-

Iure se reprehendere putat quod dicitur, ita doctri
palam impiæ fermentum cauendum, ut tamen non
merè apud quosuis de eo contendatur: quo quid uer
& sanius dici potuit: Præsertim cùm de homine priua
loquatur: & expressè addatur, ubi certa offensio, utilitat
nulla spes: & regula proponatur, ubi gloria Dei & pro
mi utilitas postulat, liberè et constanter dicendum e
quod sentias. Mirum autem cur dicat calliditatem la
dari, cum dicitur. Non passim et ubiq; dicendũ esse qu
quid sentias. Quid, an non extremæ temeritatis est pa
sim & ubiq; sine ullo hominum et temporum delect
quicquid sentias effutire? Est igitur hoc Christianę pr
dentiæ proprium & præcipuum officium, neq; solum
priuatis sed ab ipsis quoq; diuini uerbi ministris obse
uandũ. Idq; mãdato & exemplo Christi et Apostoloru
cõprobatur. Prohibuit em̃ Christus sanctum dari can
bus, et de doctrina sua à pontifice interrogatus obticu
Quare rectè ab Augustino differitur, aliud esse uerum
occultare, aliud falsum dicere uel mentiri: illud enim n
semper uitiosum esse, hoc uerò semper. Sic enim de ue
bis Domini scriptum reliquit. Quoniam potest nõnu
los Dei præceptis obtemperare cupientes nom̃ simpl
citatis decipere, ut sic putent uitiosum esse aliquando ue
rum occultare, quomodo uitiosum est aliquãdo falsum
dicere, rectè subiũgit. Nolite sanctum dare canibus: qu
Dominus quamuis nihil mentitus sit, uera tamen al
quando occultare se ostendit, dicens. Adhuc multa h
b

beo uobis dicere, Ibidem: Qui ergo mundum & simplex cor habet, non debet sibi reus uideri si aliquid occultet, quod ille cui occultat, capere non potest, nec ex eo arbitrandum est licere mentiri: non enim est consequens ut cùm uerum occultatur, falsum dicatur Hactenus Augustinus. Si ergo uerum occultare licet, etiam ubi occasio aliqua eius proferendi offerri uideatur, quanto magis tacere licet ubi non modò utilitas nulla inuitat, sed certa etiam noxa & offensio expectatur.

De cæremoniis & ritibus ecclesiasticis.

Hactenus in iis quæstionibus quæ doctrinam spectãt uersati sumus: nunc quem candorem & qualem tandem æquitatem in explorandis iis, quę de cæremoniis & traditionibus ecclesiasticis ad disciplinam populi Christiani pertinẽtibus dicta sunt, adhibuerit, uideamus. Primùm itaq; scribit auctor libelli sacramenta à Christo instituta, castè & integrè obseruanda, nihil ut eorũ institutioni tãquam mutilis & imperfectis addatur, neq; ut superfluis detrahatur. Hoc cùm simpliciter reprehendi non possit, aliud quod mox subiicitur dictum inuadit, quo scribitur, Apostolis, eorũq; successoribus ius potestatemq; cõcessam esse, ut pro tempore, & utilitate ecclesiæ ritus quosdam instituerent, quibus in publicis illis ecclesię conuentibus sacramenta illa diuinitus instituta administrari entur. An hic quicquam animaduertis cãdide lector, quod non & uerissimum sit, & à grauissimis uiris & ducibus illius etiam societatis confessum & affirmatum: Cuius rei exempla proferre haud difficile esset, nisi prolixitas pro-

bus, lecta sunt: & ad quosdam iudices missa. Inter legendum per occasionem Orichouius se mei amantem confirmabat: mecq; singularibus uerbis Episcopo commendabat. Et exortum quidem erat aliquid rixæ inter nos. Sed ego ut rixas maiores uitarem, discesseram ex conuiuio. Ecce autem die insequenti, qui dies erat Saturni, uigesimus nonus mensis Martij, nunciatur mihi, Orichouium curasse scripta quædam, eodem exemplo omnia, in ualuis templi, alia in porta curiæ Episcopalis, fortasse etiam alijs in locis alia affigi. Hærebant autem in locis, de quibus dixi, affixa ad noctem usq; et ab omnibus qui præteribant, legebantur. Noua enim res erat, qualis uix unquam audita, uisa nunquam Volborij. Venerant eodem die sub meridiem fortè fortuna Volborium, Stanislaus Dambrouius Volborienſis, & Martinus Galcinius Louicienſis, præpositi. Erat tum temporis Ioannes Dambnicius præpositus omnium Sanctorum, apud Episcopum hospes. Ab illis & eorum familiaribus, & ab alijs qui literas norant, legebantur scripta Orichouij in locis quæ dixi affixa: me quidem imprudente. Nam tum in agro meo erã cum colonis: qui locus extra oppidum est. Nec mihi res cognita fuerat, quàm sub noctem: quo quidem tempore Episcopum adire non licebat. Altero die, qui Solis erat, trigesimus Martij, à ramis palmarum nominatus, ueni in aulam Episcopi: ad quem pransum uenerant tres Præpositi, quos dixi: cumq; eis Ioannes Raiscius canonicus, Andreas Mogilnicius concionator & officialis Volborienſis, Ioannes Ceruius præpositus Hospitalis loci eiusdem. Erat cum eis uir nobilis & generosus Thomas Dambouius, qui in proxima oppidi uicinia habitat. Hi omnes unà cũ Episcopo in cœnaculo erant, amplo & splendido: unà cum familiaribus suis, quorum erat maximus numerus. Ingressus eôdem fuerat Ori-

rat Orichouius: sed repentè euestigiò discessit. Ego rogaui Episcopum, ut illũ adesse iuberet: me enim aliquid in eum dicturum esse. Et miserat quidẽ Episcopus, qui id ei nunciaret. Verùm ille uenire recusauit. Egi, inquit ille, heri quod uolebam, absente Fricio: agat & ille, si uelit, me absente. Hoc cum mihi renunciasset Episcopus, dolere me dixi, nolle interesse Orichouiũ, cum quo mihi res futura erat. Et me quidem, inquã, fateor tum non adfuisse in oppido, cum Orichouius & uerbis et scriptis palàm ad certamẽ uocaret. Nam nec significatum id mihi ab eo fuit, nec ab ullo magistratu: & sciui Orichouio nullam in me iurisdictionem esse. Itaq; quòd ille me, uocatus, audire recusat, sit hoc eius arbitrij. Me tamẽ quod coràm in os dicturus illi fueram, id absente eo, & uenire recusante, dicere oportet. Publicè ille gesserit, quod uoluit: publicè me loqui necesse est. Quamobrem ut me de iniuria maxima, qua ab Orichouio immeritò affectus sum, dicentẽ audiatis, tu Episcope, uosq; omnes qui hic adestis, magnopere oro & obtestor. Res planè ita habet.

Hesterno die, hoc in oppido. Orichouius chartas plures ad ualuas templi & curiæ Episcopalis, & nescio in quibus locis alijs affixas emisit in me, comminationum plenas, & denunciationũ tum hæresis, tum periculorum aliorum, nisi dicto eius audiens essem. Et mihi quidem Orichouij scripta nondum uisa sunt: aberam enim heri ab oppido. In agro totum diem consumpsi. Narrauit autem mihi heri sub uesperam homo fide dignus, qui se dixit uidisse & legisse. Qua in re primùm illud mirari subit, quod ius fuerit Orichouio intentandi mihi heresim, qui ipse à Paulo Papa quarto hæreticus sit declaratus. Huius rei tantũ abest ut Orichouiũ pœniteret, ut scripserit se lætum esse quòd alijs permistus sit in Catalogo hæreticorum. Itaq; Papam illum uocat tyrannum, sacrile-

gum,monſtrum hominis, lupum, latronem, ueteratorem,ueneficum, aſinum, belluam funeſtam, Antichriſtum,& quid non? An qui ita ſentit,dicit, ſcribit de Papa,quicq; ab illo hæreſeos damnatus eſt, ius habet ſcelus ſimile alij intentandi? Num qui aliquem crimine quolibet in periculum arceſſat, non ab eodem crimine uacuus eſſe debet atq; integer? Sed ſit ſanè uacuus ab hæreſi Orichouius:cuius eſt tandem patriæ mos iſte,ut qui priuatus ſit,uſurpet ea quæ ſunt magiſtratus? Leges enim promulgare,ac niſi eis pareatur pœnas indicere, cuius eſt niſi magiſtratus? Sed faciamus Orichouium in magiſtratibus ſeu in iudicibus eſſe:an iudici licet eſſe accuſatori? Orichouius enim & accuſare uult,& ſuis legibus Fricium damnare. Ipſe conditiones ponit,ipſe pœnas denunciat,niſi ſubſcribat Fricius. Sed liceat & hoc Orichouio,ut priuatus agere poſsit utrãq; perſonam,& actoris & iudicis, an hoc extra conuentum Regni faciet? certè Rex cauſas religionis omnes, atq; adeò & de hæreſi in futurum Regni conuentum diſtulit. Deinde an cuiquam fas eſt agere in eum,cui nec diem dixit, nec ullam ſignificationem dedit ſuarum molitionum? Clandeſtinò fiunt, ut eſt noſtratibus in prouerbio, quæ imprudente eo cuius ſcire intereſt,aguntur. Quamuis igitur palàm fecerit quæ fecit,an non actio eius clandeſtina fuit, quæ me imprudente habita eſt? Hoc uerò quid rei eſt,quòd me uiſo ex cœnaculo diſceſſerit: nec ab Epiſcopo uocatus,adeſſe uoluerit querelæ meæ? An non conſcientia rei malè actæ conſtrictus tenetur, qui os contra ſe loquentis aſpicere non audet? Et ego quidẽ quomodo me ſemper in hac Rep. geſſerim, quomodo multis publicè priuatimq; inſeruierim, quæ miniſteria Regis iuſſu apud exteros obierim, norunt multi: certè in hac uicinia plerique omnes. Si igitur uole-

bat

bat Orichouius contra existimationem meam uenire, non id clam utiq; facere debebat. Nam & Orichouius is est, qui in luce hominum semper uersatur: & suam mihi beneuolentiam aliquoties uerbis declarauit. Tu audiuisti Domine, & tu Dambnici, cum nudiustertius super mensam palàm diceret, se mei amantem esse: quamq; grata sibi esset epistola quædam mea, in qua matrimonium suum laudassem. Tribuebat tum mihi eruditionem: meq; tibi, Domine, commendabat uerbis singularibus. Qua de re gratias ei egi: operasq;, si quando usus esset, ad eum detuli meas. Si igitur sic tractat Orichouius eos quos diligit: quid faciet alienis? Haud scio an quid culpare possit Orichouius rerum mearum, nisi forte librum quem de Ecclesia edidi. Verùm ille editus est tanquam ab eo, cui munus impositum erat à Rege cum oratoribus ad Concilium proficiscendi. Scripsi quæ in Concilio tractanda essent, ut materia daretur inuestigandi ueri. nam ante concilium hæc agenda sunt: quo peracto, omnes in illius decretis acquiescere par est. Omnia scripta mea subieci concilio legitimè congregato. Quid æquius? Laudauit hoc Orichouius ad mensam nudiustertius. Quorsum igitur postea tumultuatus est? Hîc certè Orichouius hospes est. Hospitis est (inquit ille) nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere. Ex te audiui, Domine, Orichouium huc abs te adductum esse colloquij priuati causa. Ius autem dicere, in aliquem animaduertere, quis ei permisit? Non credo, nec est uerisimile, ut ei hæc licentia alijs in locis permittatur, qua hic usus est. Quorsum enim spectãt eiusmodi actiones, quàm ad tumultus, ad uulnera, ad cædes? Existimatio mea, qualiscunque illa, ab Orichouio, quantum in illo erat, uiolata est. Pax, qua placida ad hunc diem in tuo oppido

pido usus sum, Domine, eius uitio fœdata est: qui non iu dicio, non ulla legitima disceptatione, sed qualicunque ratione euertere me contendat. Nam & uox illa ex ore eius excepta est, se cum Fricio etiam armis contendere uelle. Dicitur iam cantare triumphum, quasi parta uictoria. Verùm furari hoc esset uictoriam, non obtinere. Tametsi ne uictoria quidem dicenda est, quæ sine antagonista & sine ullo certamine somniatur. Hanc talem tantamq; iniuriam, qualis in hanc Rep. nemini post natos homines facta est, queror apud te, Domine, et Dominum loci huius, & Senatorem Regni, & apud uos omnes qui hîc adestis. Tecum Dambroui, & tecum Galcini, & tecum Dambnici consuetudo mihi erat ętate adhuc florente. Peto à uobis uel humanitatis causa, ut uicem meam doleatis; Dominumq; cui adestis, mecum rogate, ut iniuriam mihi factam uindicet: aut certè consilio auxilioq; suo adsit ut uindicetur. Hoc enim tui officij est, Domine. Iniuria mihi facta est, clienti tuo, ab eo qui hospes tuus est, in hoc oppido tuo. In quo si talis licentia regnaret, quid tandem mali ex ea non consequeretur? Si autem ex lege non uindicaretur, quod tandem esset discrimen inter bene & male facta? an non locus esset prouerbio: Vbi inter bonum & malum discrimen est nullum, ibi peccat qui rectè facit?

Hæc ferè ad hunc modum à me dicta sunt. Episcopus respondendo exposuit, se dolere uicem utriusque nostrûm: meam qui patiar, Orichouij qui faciat hanc iniuriam. Nec minus etiam se dolere, in hoc suæ ditionis oppido hæc sic acta esse. Qua in re quod conniuendum putauerit, se suasione Orichouij adductum esse, qui persuaserit id in Dei gloriam cessurum. Quòd uerò se ut Senatorem appellassem, dixit non se unum esse: nec sibi hoc nomine licere ius dicere.

Verum-

Verumtamẽ quantum iuſticia ſuaſerit, ſe mihi non defuturũ loco & tempore congruo. Dambrouius quoq; ſe dolorem capere ex hoc meo caſu expoſuit: memor ueteris conſuetudinis noſtræ, quodq; me modeſtè geſſerim ſemper, nec me in aliena officia ingeſſerim. Tum Dambnicius, palàm actionem Orichouij reprehẽdere. Non philoſophorum, nec theologorum eſſe morem, quem Orichouius uſurpaſſet: ſed militum, cum unus alium prouocat ad duellum, ſeu ad certamen. Id uerò fieri debere uel ab ipſomet prouocante, uel ab aliquo alio internuncio, uel per ſcripta: quæ quidem ad noticiam eius perueniant, qui prouocetur. Iudicium uerò de hæreſi ita fieri oportere, ut ante omnia dies reo dicatur à legitimo iudice: qui cauſa cognita, condẽnet reum, abſoluat'ue. Addidit, ſe Venetijs adfuiſſe, cum liber Fricij publicè uenderetur, & à multis legeretur, idq; impune: quòd in eo multa deliberandi, non concludendi cauſa ſcripta eſſent, omniaq; concilio legitimo ſubiecta.

His ad hunc modum dictis & peroratis, diſceſſi ex cœnaculo. Epiſcopus cum conuiuis epulis accubuit, ad quas Orichouius, qui querelis meis intereſſe non ſuſtinuit, uenerat: uocatus, an ſponte ſua, incertum. Sub uesperam tandem, eodem die, ex oppido diſceſſit. Fama erat, eum ad Archiepiſcopum conceſſurum. alij Cracouiam iturum narrabant, ad Legatum Papæ. Nonnulli affirmabant eum dictitaſſe, chartas quas in me Volborij affixiſſet, quocunq; uenerit, affixurum eſſe. In hoc, eum teſtimonia à notario uictoriæ partæ accepiſſe, ut ubiq; iuſtus ei triumphus decerneretur. Quod quomodo ei ſucceſſurum ſit neſcio. Vt autem quæ à me dicta geſtaq; ſunt, fidem habeant, teſtatus ſum omnes qui aderant, notariumq; publicum: qui quæ uidit aut audiuit, ſcriptis mandauit, quæ quidem ad uerbum ſic habent.

¶ IN DEI NOMINE AMEN.

Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidẽter,& sit notũ:Quòd anno à natiuitate Domini millesimo,quingentesimo,sexagesimo primo:Indictione quarta,Pontificatus sanctissimi in Christo partis & domini, domini Pij,diuina prouidẽtia Papæ quarti, Anno ipsius secundo,die uerò Solis penultima Mensis Martij,hora meridiei,in arce Volborien si,in hypocausto magno,in quo sunt imagines Episcoporum Cuiauien. coram reuerendissimo in Christo patre & domino, domino Iacobo Vchāski,Dei gratia nominato Episcopo Vuladislauien.in meiq; Notarij publici per ipsum reuerendissimum dominum Episcopum ad infrascripta specialiter deputati,ac testium infrascriptorum præsentia, cõstitutus personaliter, nobilis domin⁹ Andreas Fricz de Modrzeuu,principalis principaliter pro seipso solẽniter & expresse, prout de iure melius potuit & debuit, omnibus melioribus,modo,uia, iure,causa,stylo,& forma dixit, & publicè protestatus est, se uenisse ad deponendam querelam in & contra nobilem dominum Stanislaum Orzechouuski, pro certis iniurijs sibi ab ipso domino Orzechouuski factis: rogauitq; reuerendissimum Dominum, ut pro ipso domino Orzechouuski mitteret,(qui tunc præsens Volboriæ in arce præfata aderat,)ut adesset ad audiendam istiusmodi querelam: cumq; dominus Orzechouuski se uenire nolle significasset,ac etiam reuerendissimo Domino intimasset,posse Fricium in absentia sui agere, quemadmodum ipse contra Fricium eo absente egit:Fricius in contumaciam Orichouij per præfatum reuerendissimum Dominum uocati,& uenire recusantis, longa oratione exposuit iurias ab ipso Orichouio factas:quòd uidelicet chartas ad ualuas Ecclesiæ Volborien sis & curiæ Episcopalis ibidem

ibidem affixerit in ignominiam suam, nulla sibi ab illo significatione facta, nec ab ullo magistratu, quod quidem Orichouio facere non competebat. Nam nec iurisdictionem in Fricium habet. Et si haberet, non licuisse ei, nisi iuridicè citato Fricio, contra eum procedere. Sed nec licuisse Orichouio de aliqua hæresi Fricium accusare: Primùm, quia ipse hæreticus esset à Paulo Papa quarto declaratus, ut patet ex Catalogo hæreticorum impresso, qui Romæ sit primùm editus: Deinde, quia omnes causæ de controuersijs in religione, & de hæresi, ad futurum conuentum à Maiestate Regia sunt suspensæ. Hæc omnia protestatus est Fricius, Orichouium dixisse: & fecisse iniquè, iniustè, & nullo iure, in sui contemptum & iniuriam maximam. De & super quibus omnibus & singulis præmissis, præfatus Andreas Fricius petijt & requisiuit me Notarium publicum infrascriptum, ut sibi traderem & conficerem unum, duo, uel quot fuerint necessaria, publicum, seu publica instrumentum & instrumenta. Acta sunt hæc Anno, indictione, Pontificatu, die, mense, loco, quibus suprà: præsentibus ibidem reuerendis, uenerabilibus, generosis, & nobilibus Dominis, Stanislao Dambrouuski, Gnesnen. Crac. Vuladislauien. Ecclesiarum cathedralium Canonico, reuerendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnen. Curiæ Cancellario: Martino Galcinski, Præposito Louicien. Ioanne Dambnicki, canonico Crac. Andrea à Mogielnica, uerbi Dei ministro, Officiali: Gregorio Raiski, Ioanne Czeruuiouuski, Canonicis Volborien. Thoma Dambouuski, Stanislao Duczyminiski Marshalco, Mathia Cibulski thesaurario, & alijs quàm plurimis testibus circa præmissa. Et quia ego Ioannes, Martini olim Pacoshouuski clericus diœcesis Crac. sacra auth. Apostolica notarius publicus, ac

per præfatum reuerendiſſimum Dominum Epiſcopũ, ad ſupraſcripta ſpecialiter deputatus, præmiſſis omnibus & ſingulis, unà cum teſtibus prænominatis, præſens interfui. Eaq; omnia & ſingula præmiſſa ſic fieri uidi & audiui: ideo hoc præſens publicum inſtrumentum manu mea ſcriptum ſubſcripſi, & in hanc formam redegi, ſignoq; & nomine meis ſolitis & conſuetis communiui, in fidem omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

¶ In ſequentibus diebus nactus ſum Concluſiones, quas dixi, in chartis conſcriptas, quæ ſic ad uerbum habebant:

EXPERIMENTVM ſermonum uerorum eſt, ut concordent ſenſatis: ſi Andreas Fricius Chriſtianus & Catholicus eſt, his infrà ſcriptis concluſionibus ſubſcribat.

Quòd ordo Sacerdotalis eſt ordo hierarchicus, à ſolo Chriſto ad miniſterium Eccleſiaſticum inſtitutus.

Quòd ordo prædictus charactere inſignis, ſolus habeat poteſtatem ligandi atq; ſoluendi.

Quòd hic ordo ſolus iudicat in iudicio lepræ atq; ſanguinis uniuerſum laicalem ſtatum, nullo autem modo ab illo iudicatur: quia primam ſedem nemo iudicat.

Quòd iſte ordo in Cõcilio legitimè congregato non errat, neque errare poteſt.

Quòd hic ordo hoſtiã offert, ſuo miniſterio, pro peccatis noſtris: id eſt, uerum corpus & uerum ſanguinem, non in ſigno tantum, ſed etiam in ſignato.

Quòd in hoc ordine Romanus Petrus (is autem eſt Pius quartus) uicarius eſt Chriſti, ſucceſſor Simonis Petri, paſtor paſtorum, ac ſolus Regni cœlorum clauiger, primatum in Eccleſia tenens, plenitudinem poteſtatis habens, cui obedire eſt de neceſſitate ſalutis.

Si au-

Si autẽ Fricius ab his cõclusionibus dissentit, neq; his subscribit intra ortum & occasum solis hodie, est notorius hæreticus, indignus mensa Episcopali, uitandus ab omnibus Christi fidelibus, tanquam ouis morbida & pestifera.

Prædictas conclusiones Stanislaus Orzechouuski offert sese probaturum, contra Andream Fricium apud Reuerendissimum Dominum Ioannem Przerembski, tanquam apud legitimum prouinciæ Poloniæ iudicem, & huius Volborien. loci diœcesianum.

Idem Stanislaus Orzechouuski.

Sub his conclusionibus sic ad uerbum scriptum erat:

¶ Anno Domini 1561. die uigesimanona mensis Martij, præsens conclusionum charta per generosum Dominum Stanislaum Orzechouuski Roxolanum, coram uenerabili domino Andrea Mogielnica, canonico & Officiali Volborien. & in præsentia multorum sacerdotum atq; nobilium uirorũ, in consistorio Volborien. publicè lecta: & per eundem dominum Officialem tam ad ingrossandum seu Actis inscribendum, quàm ad ualuas Ecclesiæ publicandum, admissa.

Fœlix Consistorij Volborien. Notarius subscripsit, de mandato domini Officialis.

¶ His alia ex parte folij, scriptura alia addita fuerat, quę sic habebat:

ANNO Domini 1561. die uigesimanona mensis Martij, in Volborz & curia Episcopali, Generosus dominus Stanislaus Orzechouuski, diœcesis Præmislien-sis, protestatus est in & contra dominum Andream Fricium Modrzeuuski: ex eo, quia ipse existens solenniter prouocatus à præfato domino Stanislao Orzechouu-

ski per ſchedulam præſentem, concluſiones retrocon-
rentas continentem. Et ex admiſſione Domini Officia-
lis Volborienſis ad ualuas tã Eccleſiæ collegiatæ, quàm
curiæ Epiſcopalis in Volborz publicè affixam, & ſibi
ad noticiam (ut dicebat) deductam, intra tempus in præ
ſenti ſchedula præſcriptum, nihil ad concluſiones pro-
poſitas, neq; in conſiſtorio Domini Officialis Volboriẽ.
neq; alibi, neq; per ſe, neq; per alium reſpondit; faciendo
præmiſſa (ut præfatus Dominus Stanislaus aſſerebat) in
contemptum & uilipendium Reuerendiſſimi Domini
Archiepiſcopi, & illius Sanctæ ſedis Metropolitanæ,
tanquam huius loci Volborienſis diœceſiani: ob quod
præfatus Stanislaus Orzechouuski proteſtatus eſt co-
ram me Notario publico, & teſtibus infraſcriptis, præſa
tum Dominum Fricium pro conuicto habere, & haben
dum eſſe. Præſentibus reuerendis ac generoſis Domi-
nis, Stanislao Dambrouuski Volborien. Martino Galc-
zinski, Louicien. Præpoſitis, Gneſnen. Crac. Canoni-
cis, &c. Stanislao Ducíminski Maiore domus, Valenti-
no Borzencki, Ioanne Pakoſzouuski, Notarijs publi-
cis, Paulo Goſtkouuski, & Thoma Samoſtrzelski, Re-
uerendiſſimi in Chriſto patris & Domini Domini Iaco
bi Vchanski, Chelmenſis & electi Vuladislauienſis E-
piſcopi, familiaribus, & alijs quamplurimis fide dignis
ad præmiſſa adhibitis teſtibus: ac me Fœlice conſiſtorij
Volborienſis, & ad præmiſſam proteſtationem uocato
Notario.

Idem qui ſuprà, manu ſua propria.

¶ Hæc ſcriptura à me lecta, pectus mihi denuò lanci-
nauit. Res mihi noua uiſa, & peſſimi exempli, ut Officia
les oppidani permittant publicari & actis ſuis inſcribi
aliquid, quod nõ rectè nec ordine factum eſſet, & macu
lis aliquem aſpergeret. Et Orichouiũ quidẽ quaſi re
præclarè

præclarè gesta, quocunq; ueniat, triumphare auditur.

Venerāt huc hisce diebus proceres duo Cracouia, iter facientes Louicium, qui apud certos homines dixerunt, sibi Orichouium Cracouiæ uisum esse. Scripturam quā Volborij ad ualuas explicarat, & aliam protestationum à Notario factam, Cracouiæ quoq; eū ostentare narrabant. Eius scripturæ exemplum ab illo nacti, dederunt hîc quibusdam describendum, quod mihi ostensum est: & concordare omnino cum prototypo uisum. Quid igitur facerem, non reperiebam: nisi quòd res Domino loci exponenda fuerat. Verùm ille occupatus erat finibus regendis, negotijsq; alijs publicis & priuatis: & feriæ interceserant Paschales. Rem igitur in diem ulteriorem me proferre necesse erat. Frustra uerò iam quererer de Orichouio: qui, si præsens in hoc oppido adesse noluit querelæ meæ, multo minus curaturus uideretur quæ in illum, alijs in locis agentem, dicerem. Vidi autem magnam, aut certè totam, ab Officiali Volborien si ansam datam Orichouio, in me debacchandi. Die igitur Solis, quam uocant conductum Paschæ, tredecima mensis Aprilis, cum intellexissem Officialem ad prandium uocatum esse ab Episcopo, accessi in aulam. Erant tūc cum Episcopo in cœnaculo, Ioannes Raiscius, Ioannes Babius, & ipse Officialis, Canonici, & omnes presbyteri Volborienses. Tum ego dicendi copia ab Episcopo impetrata, sic dicebam. Non satis erat, Domine, Orichouium in eam mentem impulsum esse, ut conclusiones quasdam ederet, rationesq; proponeret ut me hæresi notaret: nisi nactus esset socium facti sui. Currenti enim Orichouio addidit calcaria Andreas Mogilnicius, concionator & Officialis Volborien sis. Nam scripturam Orichouij ad me inquinandum destinatam permisit in acta sua referri, & ad ualuas Ecclesiæ publicari. Quam

iniuriam

iniuriã me apud te, Domine, queri oportet. Nam apud quem alium id faciam, non habeo. Non sunt Officiales, ut mihi quidem uidetur, in oppidis constituti, quorumlibet negotiorum causa. Causæ domesticæ decimarum, & matrimoniorum controuersiæ, sunt eis commissæ. Conclusionibus Theologicis edendis, ad eum quidem finem ut quis hæreticus pronuncietur, non sunt (quod sciam) præpositi. Hæc res altioris est ingenij, doctrinæ, exercitij, facultatis, quàm ut hoc in loco præstari debeat. Non est hoc oppidum studijs literarum, multo minus Theologicis dedicatum. Opificum & agricolarum est hic locus: elementis literarum iuuentus hic tantummodò informatur: Theologiæ alia loca destinata sunt.

Iam ordo & modus iudiciorum an non est ille, ut reus in ius uocetur, testes examinentur, iuramenta recipiantur? Hæc ubi non sunt, sed reus simpliciter damnatur, an est rectum iudicium? Quid igitur hoc rei est, cũ Officialis me inauditum, indefensum, causa indicta, permiserit Orichouio iactandum, notis inurendum, ad meam ignominiam? Putas ne tu, ô Officialis, me non posse eodem modo animum tuum repungere, quo tu me Orichouio pungendum permisisti? Tu aliquando concionem Martini Lutheri ad mensam, hac in aula laudasti, quas ille de uisitatione Mariæ conscripsisset. Cumq; rogareris quî id scires, cui lectione librorum Lutheri interdictum esset, sicut alijs omnibus: respondisti, Te bonam concionis partem ex illius scriptis die festo Visitationis habuisse. Legis tu igitur hæreticorum scripta, tibi quidẽ & omnibus uetita? Es igitur hæreticus. Quarẽ igit nõ prius trabẽ ex oculo tuo exemisti, quàm alterius festucã eximere uelles? Etiã si mihi dare malũ uelles (quod quidẽ & rectè faceres, tu ipse iudex esse potes, qui

à me

à me læsus nunquam fueris) sed si qua fortè consilia præ postera te ad nocendum mihi impellerent, an non uia turis id facere conueniebat, ut prius diem mihi diceres, quàm aliquid in me fieri permitteres? Deinde, an non decreto comitiorum te parêre æquum fuerat, quo controuersiæ omnes religionis ad futurum conuentum differuntur? Sed non satis est Officialem fecisse quod dixi, nisi Notarium hac in parte similem sibi haberet Fœlicem. Quid minus decet notarium, quàm scribere incomperta pro compertis? Ait in sua scriptura, Orichouium protestatum esse contra me, quòd essem ab ipso solenniter prouocatus per ipsius schedam. Hoc quidem Orichouium dixisse, fieri potest. Sed unde scit notarius id uerum esse? Si scit, cur non addidit unde sciret? Sin minus, cur id scripsit? Solennis est illa iudiciorum Ecclesiasticorum formula, notis contumaciarum scribendis: Actor citato legitimè reo, contumaciam eius non comparentis accusauit. Interim notarij est, qui scribit, uidere num reus legitimè citatus sit: quod uel testimonijs, uel scriptura executoris doceri solet. Si igitur Orichouius dixit se prouocasse me ad aliquod certamen, Notarij erat, prius id cognoscere, quàm in scripturam referre. Non est fides habenda dictis aduersariorum nostrorum: quod sine probatione dixerint, pro re certa accipiendum non est. Scribit etiam, Orichouium dixisse, eius prouocationem ad mei noticiam deductã esse: mecq; suis conclusionibus, in cõtemptum & uilipendium Archiepiscopi non respondisse. Verùm hoc ille dixit, non probauit. Conuiciatoris igitur hæc uerba sunt, non legitimi accusatoris. Iam illud consideratione dignum est: Orichouius offert se probaturum coram Archiepiscopo conclusiones à se positas. Interim protestatur contra Fricium, quòd nec coram Officiali, nec alibi respon-

derit cõcluſionibus illis. Alium igitur iudicem Orichouius ſuarum probationũ, alium Fricius ſuarum reſponſionum habeat neceſſe eſt. Quid illud? uult Orichouius contra me probare: cum tamen quid ego dicturus ſim, ignoret. Forraſſe uult, quicquid ego dicerem, id impugnare: more ſcilicet Academico. Vnde autem illud dicit, me non reſpondiſſe in contemptũ & uilipendium Archiepiſcopi? Cur non potius dixit, in contemptũ Officialis? Certè ex officina Officialis admiſsiones illæ præclaræ, & proteſtationes de nõ reſponſionibus meis profectæ ſunt, non ab Archiepiſcopo. Quòd ſi ego in contemptum Archiepiſcopi dicor non reſpondiſſe: an non uiciſsim Orichouius in cõtemptum Archiepiſcopi non probauit, quod ultro promiſit? Non enim ad Archiepiſcopum, qui Louicij nunc eſt, recepit ſe probationũ ſuarum cauſa: ſed Cracouiam, ut narrarunt qui eum ibi uiderunt. Sed de contemptu mihi obiecto, magna mihi fit iniuria. Vult me iſte homo communi ſenſu priuare: quaſi neſciam, quem cui honorẽ tribuere debeã. Quot ſunt in hoc regno ex omni fermè ordine homines, quide religione non idem ſentiunt quod Archiepiſcopus? an propterea contemnunt & uilipendũt archiepiſcopum? Quid magis alienum à uero? Me uerò incertum pendere neceſſe fuiſſet, an ad Officialem me cõferrem reſpondendi cauſa, an ad Archiepiſcopum, audiendi Orichouium de ſuis concluſionibus præclarè differentem.

Quòd ſi Orichouius meã apud Officialem accuſauit contumaciam, atq; ita proteſtatus eſt me pro conuicto habendum eſſe: an non eâdem lege ego apud Archiepiſcopum contumaciam ipſius accuſare potuiſſem? atque ita uel abſolui ab eius impetitione, uel talionis cum eo agere? Maior enim actoris cõtumacia habetur, quàm rei. Adeò hæc Orichouij actio omnis inſolẽs eſt, inerudita, abſurda,

absurda, tricarum & ineptiarum plena, ut mirum sit cadere potuisse in hominem eruditū, doctrinis excultum, exercitatione exactum. Non minus mirum, eum hoc in oppido nactum esse quasi regnum licentiæ suæ: in qua progressus est quousq; uoluit, nemine illi frena iniicente. Grassatus est aduersus me non quidem ferro, sed lingua & calamo ueneno tincto, ut uoluit, & quamdiu uoluit: paratus etiam (ut homo certæ fidei narrauit, qui se ex illo audisse dixit) ferro mecum & cum quouis alio dimicare pro suis conclusionibus. Deum rogo miseri cordē, auertat à me meoq; capite ferū istū & immanē hostem: pacemq; cōferat nostris tēporibus. Iam secundò apud te exposui, Domine, iniurias quib. affectus sum ab Orichouio, eiusq; synergis. Mihi quidem adhuc non satis certū est, uter magis accusandus, Orichouius an Officialis. ille, tanquam acer & effrenus equus fremit, nec se cohibere potest quin excurrat quocunq; deturiste calcaribus admotis currentē instigat, & quasi impellit præcipitātem. Nisi ineptias Orichouij admissione sua iuuisset Officialis, & Notarius scriptura sua cōfirmasset, non ansam habuisset Orichouius illas ineptias extra pomœria oppidi huius uenditandi. Hîc hîc constitissent ineptiæ, non uires habuissent euolandi cum alicuius assensione & approbatione. Nunc eas uolitare per ora hominum, Orichouiumq; magis in dies insolescere, multorū literis ad nos perfertur: & illi narrabant qui proximè hâc ibant Cracouia Louicium. Melius est carere Officialibus, quàm tales habere, qui præter facultatem sibi datā, contra consulta Regis et omnium ordinum regni, uia iuris deserta ac neglecta, libidine, non ulla ratione, homines turbant, ac in perniciem eorum incumbunt. Ab his igitur iniurijs ut me asseras Domine, te etiam atque etiam oro atque obtestor. Tuum est hoc munus, in-

nocentes tueri, loca ditionis tuæ ab inquinamentis hu-iusmodi purgare, securitatem omnibus tuis tribuere: pa cem domesticam, quantum in te est, procurare & custo-dire. Sic te Deus liberet ab omni malo: sic te cumulet o-mni bono: sic te tandem post hanc uitā, uita donet sem-piterna. Sic ego. Ad quæ episcopus respondit huma-nissimè: Dolere se meo dolore: secq; ualde cupere, ut nos ipsi (me & Orichouium designans) componamus has difficultates inter nos. Officialem & notarium in pote-state sua non esse: itaq; suum non esse in eos animaduer-tere. Tum Officialis fassus est, se potestatē permisisse O-richouio publicandi et in tabulas inferendi cōclusiones ipsius. uerùm id Orichouiū à se exegisse minis, quòd se ad Archiepiscopū nomen ipsius delaturū minaretur, nisi obtemperaret. Quòd si quid delictū à se esset, id se sub-dere uelle correctioni non tantū episcopi, sed & meæ.

Tum ego à notario Felice popoſci, ut scripto publi-co reddat testimoniū querelę et contestationū mearum: quod quidem scriptum sic omnino habet.

¶ IN NOMINE Domini amen. Per hoc publi-cum præsens instrumentū cunctis pateat euidenter, & sit notum: Quòd Anno natiuitatis Domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo sexagesimo primo, die solis quam uocant conductum Paschæ, tredecima mensis Aprilis, indictione quarta, Pontificatus san-ctissimi in Christo patris & domini D. Pij diuina prou dentia Papæ quarti anno secundo, hora meridiei, in arce Volborien. in hypocausto maiori superiori, ubi sunt ima gines Episcoporum Cuiauien. depictæ, constitutus per sonaliter Generosus dominus Andreas Fricz de Mo-drzeuu, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretarius, principa-lis principaliter pro se ipso coram Reuerendissimo in Christo patre & domino D. Iacobo Vchāski, gratia Dei Vladisla-

Vladislauiensi & Pomeraniæ Episcopo, graui cũ quere la questus est, in & contra Venerabilẽ dominũ Andreã Mogielnica, Canonicum concionatorem & Officialem Volborien sem: pro eo quòd ipse chartã quandam præ tensarũ conclusionum Theologicarum, à generoso do mino Stanislao Orzechouuski scriptarũ, unà cum præ scriptis cõditionibus quibusdã, in quibus ipsum domi num Fricium hæreticũ notoriũ esse scripsit, in acta Offi cialatus sui inscribi atq; ingrossari & publicari permisit, faciendo id inquiens cõtra aut ultra facultatem sibi com missam, quum causæ rerum Theologicarum ad eum fi nem ut aliquis hæreticus sit, non sint ei commissæ: præ sertim cum omnis tractatio de controuersijs religionis, & de hæresi, ad futurum cõuentum à sacra maiestate Re gia suspensa sit. Deinde etiam dixit, id dominum Officia lem fecisse contra iuris formam, quo cautum est, ut nihil fiat ab aliquo iudice in iniuriam alicuius, nisi illo citato & audito. Ipse autem Fricius dixit, se citatum non esse, nec legitimè uocatum ad huiusmodi actum: in præsen tia domini Officialis prędicti, qui respondit, se ideo non citasse Fricium, quia id à se non petierit Orichouius: ad missionem uerò prædictam se fecisse, quòd Orichouius mi nabatur se illum delaturum ad Reuerendissimum do minum Archiepiscopũ, nisi illud faceret. Quòd si in hoc aliquid deliquisset, dixit se subdere uelle correctioni, non tantum Reuerendissimi domini Episcopi Vuladis lauien. præfati, sed etiam ipsius Fricij. Ad hæc idem Fri cius ibidẽ ,,ducta copia Cõclusionũ præfatarũ, & ,,te statione Orichouij, dixit, & corã me notario atq; testib. infrascriptis, ad hoc uocatis, solẽniter ,,testatus est, nihil ibi esse quod in ueritate cõpertũ esset, nec se solẽniter ab Orichouio ,,uocatũ esse ad aliquã rẽ, nec in suã noticiã legitimè deductas fuisse suprà præfatas conclusiones:

nec ſe unquam quicquam feciſſe,aut dixiſſe in contemptum & uilipendium Reuerēdiſsimi domini Archiepiſcopi Gneſnēſis:omniaq; in præmemorata proteſtatione Orichouij,ab eo dicta eſſe iniquè,iniuſtè, & nullo iure,in ſui contemptum,atq; in iniuriam maximam. ſuper quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis,prædictus dominus Fricius petijt ſibi à me Notario publico infraſcripto,unum uel plura inſtrumentum & inſtrumenta fieri & confici. Acta ſunt hæc Anno,die,menſe,indictione, Pontificatu,hora & loco quibus ſupra:præſentib. uenerabilibus,honorabilib. & nobilibus,Gregorio Raiski, Stanislao Bapski, Canonicis: Paulo & Simone ab Viazd,Stanislao & Ioanne Volborianis,Stanislao Lasko, Vicarijs Volborien. Stanislao Duczymmiski, maiore domus:Ambroſio Ruskouusky ferculorum anteambulatore: Mathia Cibulski theſauri,Paulo Goſtkouuski equorū præfectis:Ioanne Pakoſzouuski actorum,Thoma Samoſtrzelski,curiæ notarijs,ſupraſcripti Reuerendiſsimi domini Epiſcopi familiaribus,ac alijs quàm plurimis fide & honore dignis circa præmiſſa dominis teſtibus. Et quia ego Felix notarius de Bolemouu diœceſis Gneſnen. clericus S.Eccleſiæ apoſtolicæ publicus,& cōſiſtorij Volboriē.notarius, ſupraſcriptę expoſtulationi ſeu querelę,& ad eam reſpōſioni, ac itē proteſtationi de iniurijs,alijſq; omnib. & ſingulis ſupraſcriptis, dum ut præmittit fierent & agerēt,unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui,eaq; ſic fieri uidi & audiui: ideo præſens inſtrumentū exinde confeci,& in hanc publicā formā redegi,ſignoq; & nomine meis in fidē & teſtimonium præmiſſorum communiui,rogatus & requiſitus.

¶ Hæc ſic ut ſcripſi,uerè à me dicta geſtaq; fuere in aula Epiſcopi,præſente Epiſcopo,multisq; coràm aſtantibus & audientibus. Mecum aūt ipſe tacitus quærebam,quę

cauſa

causa esset Orichouio, cur in me exarsisset: meq; ignominiæ & dedecori, quantum in ipso erat, exposuisset. Erat enim mihi cum Orichouio familiaritas nõ parua, uel ob studia cõmunia, uel quòd in aulis ijsdem uirorum principum uersari consueuimus. Cumq; apud Episcopum hospes esset paucorum dierum, omni ferè die unà eramus, conuiuebamus, sermonesq; de rebus quidem uarijs sociabamus: sed de dogmatis quibusdam religionis in primis, de qua mihi cum illo non satis conueniebat. Quibus sermonibus nostris Episcopus intererat, ac potius præerat. nam eo authore & cohortatore habiti sunt. Et inciderant quidem inter me & Orichouiũ (ut fit in contentionibus) rixæ quædam, sed modicæ: & tales, ut nullo modo eas hostilitas capitalis insequi deberet. Producebantur nostra illa colloquia in diem usq; quintũ. Sexto die chartæ dentatæ, quas diximus, palàm in foribus templi & Episcopalis curiæ affixæ erant. Quæsiui igitur ipse cum animo meo, quæ causa esset, cur Orichouius subitò, sumpto hostili animo, telum in me hoc uulnificum eiacularetur? Quatuor itaque mihi causæ uidentur esse posse huiusce molitionis. Vna, amor quem præ se ferret in religionem, quam per me putaret scindi & inquinari. Altera, spes uictoriæ, quam ex me uideret sibi pulchram & spectabilem, si fortè nactus esset. Tertia, fiducia tum innocentiæ, tum doctrinæ suæ: quòd nihil unquam tale admiserit, in quo à me uicissim reprehendi posset: eaq; eruditione præditus sit, ut errata aliorũ coarguere ualeret. Quarta, emolumentorũ aliquorum expectatio, si illi, me prostrato, stare contingat. Earum causarum quantum quæq; ualeat, uidere operæprecium est. Amat religionẽ Orichouius. Esto. Cur igitur nunc primùm surrexit ad eius defensionem? Erat ei in conspectu Dubiecko, erat Pinczouium: ubi religionis doctrina,

ctrina, quam ego sequor, pleno ore à multis professoribus prædicatur: cœtus secundum eam sunt constituti: sacra administrantur: & omnia aguntur ex institutis ecclesiarum quæ apud Germanos sunt emẽdatæ. An nõ plus religio inquinata uideri possit in illis cœtibus, quàm in unico Fricio, qui uiuat priuatus, in negotia de religione se non ingerat? Scribit quidem, sed non chartas quibus affixis aliquem proscindat: sed libros, quos reprehendere licet unicuiq; simili ratione. Sed non in Polonia tantum materiam habere poterat Orichouius, illustrãdi huius amoris sui. Magna Germaniç pars, Heluetiorũ quoque non minima, discessit olim ab institutis Papæ. Confutauit Orichouius ante annos circiter decẽ Lutherum, primatum Papæ conuellentem. Cur non idem fecit confutandis Heluetijs, qui de Cœna Dominica longè secus doceant quàm Papistæ? Hoc si rectè & ordine fecisset, occasionem mihi eripuisset amplectendi dogma Helueticum: sic enim nunc appellare libet. Vetus est præceptum, quod à Nasone sic scriptum est:

Principijs obsta: sero medicina paratur,
Cum mala post longas inualuere moras.

Non obstitit Orichouius principijs, cum tamen non ignoraret quid Heluetij docerent. Sciret dogma illorum in omnes nationes, in Poloniam etiam, abhinc ferè decennium profluxisse: hodie in ecclesijs reformatis resonare. Dormitabat bonus Orichouius: nunc primùm oculos aperuit, ad illud confutandum, in persona Fricij. Cur ita? An se gloriam ampliorem, eo uicto, relaturum sperabat? Hæc enim ex causis secunda erat. Hoc uerò perinde est, ac si quis Achille & Hectore omisso, de gregario milite gloriam reportare uelit. Non est operosus labor, uincere inermem, aut certè parum armatum: nec glorioſa uictoria,

quæ

quæ ſtat ſine ſanguine & uulnere. Conſerendæ erant Orichouio manus cum Oecolampadio, cũ Zuinglio, cum Bucero, cum Bullingero, cum Caluino, cum Martyre, cumq; alijs anteſignanis, ut iuſtum triumphum ageret ex hoſtibus. Fricio enim uicto, an cauſa uicta eſt? Sed & illa mihi à quibuſdam cogitatio iniecta eſt, ſubuereri Orichouium, ne in honore maiore ſim & precio, quàm ipſe, apud eos qui libros legant meos, non tantum latinos ut à me facti ſunt, ſed & Germanicos & Gallicos, & aliquos eorũ Hiſpanicos, fortaſſe etiam Ethruſcos, ut à nonnullis earum linguarum peritis ſunt conuerſi. Et eſt quidem hæc res eiuſmodi, quæ mihi inuidiam conflare poſsit apud ingenia plebeia, quę ſe ab iniuria contemptionis uirtute ſua aſſerere non queant: uerùm ut in ſtudia Orichouij cadat, fieri non poteſt. Eſt illi dignitas ſua integra. Magnam nactus eſt gloriam ex doctrina uariarum rerum. Hanc tueri illum decet bonis ſuis excolendis, potius quàm ſtudijs alienis inſequẽdis: quorum nomine gratioſus eſſe apud illum quiſque debet, minime odioſus. Sequitur tertia cauſa, quam prætendere poſsit facto ſuo: quòd homo innocens nihil unquam admiſerit, cuius merito uiciſsim argui poſſit. Etenim qui uitio laborat aliquo, de eo ut accuſet alium nec per naturam fas eſt, nec per legem diuinam licet. Natura iubet, ut ſibi quiſq; ægrotanti prius adhibeat medicinam, quàm alijs. Chriſtus autem: Exime (inquit) prius ô hiſtrio trabem ex oculo tuo, tum demum cernes ut feſtucam extrahas quæ eſt in tui fratris oculo. Videamus igitur, an non commmiſſa ſint ab Orichouio quæ argui poſsint. Hæreticus eſt declaratus à Carapha Papa, qui uocabatur Paulus quartus. Quod tantum abeſt ut eum malè haberet, ut ſcripſerit ſe gaudere, quòd cum alijs hæreticis unà nomina- 8.

tus sit. Ideoq; Paulum quartum uocat tyrannum, sacrilegum, monstrum hominis, lupum, latronem, ueteratorem, ueneficum, belluam funestam, antichristum: cuius (inquit) scelus & audacia in demolienda Christi Ecclesia eò peruenit, ut elegãtia scripta, puram doctrinam ex uita hominum sustulerit, hydras ab inferis reuocauerit, & his ueneficijs ab integro hominum uitam infecerit. Cui parum fuerit Italiam bellis miscere, oppida delere, humanũ genus radicitùs extinguere: nisi etiam omnem funditùs ex hominum uita exterminaret doctrinam. Sic tandem post multa uerba concludit: Ego hoc Petri Caraphæ, qui se Paulum quartum nominat, latrocinio de Ecclesia Christi me pulsum putabo, cum uideam Mosen atq; Christum ipsum ab hoc Christi hoste unà mecum ex Ecclesia esse eiectos. Et paulo pòst: Profectò iniuriam mihi factam fuisse ab illo putarem, nisi me cum ijs aggregasset, quos ut infames proscripsit. Ita ego palmarium mihi esse duco, ab hoc tyranno tam atroci notari edicto. Sic ille de papa Romano. De quo male cogitare, male sentire, male scribere, cui male loqui, quid est nisi hæreticum esse, ut quidem nunc sunt tempora? Dupliciter igitur Orichouius hæreticus est: & quòd talis à Papa pronunciatus, & quòd in illum sit maledicentissimus. Quid illud? Duxit Orichouius uxorem, Romani ritus sacerdos. Et tamen dicit in suis conclusionibus, Romano pontifici obedire esse de necessitate salutis. Excidit igitur Orichouius salute, qui mandato Papæ contraiuit. Solet ille dictitare, se parêre non oportere alijs decretis, nisi quæ communi cõsensu quatuor patriarcharum, Latini, Græci, Alexandrini, Antiocheni facta essent. Quod si ita est, cur nunc oblitus sui, Romanum Petrum, id est Pium quartum, plenitudinẽ potestatis habere dicit? Cur ad istius unius

obedien-

obedientiam reuocat omnes, quicunq; salui esse uelint? Cur à solo Romano laborat ut absolutionem ob uxorem obtineat, cum in decretum aliorum non deliquerit? Quod si in Romano plenitudo, cur dicere solet se obtemperare non debere, nisi ijs quæ à Quatuor illis decreta sint? Non enim hoc obscurum est, multa à Romanis fieri imprudentibus alijs: ut de matrimonio presbyterorum, & calice laicorum factum est. Sed neque in doctrina Christiana eò processit Orichouius, ut hæresis aliquem arguere possit. Dixit in concertationibus quæ mihi cum eo habitæ sunt, Episcopo audiente, naturam diuinam cum humana in Christo esse essentialiter unum. Quod cum ego negarem, urgebat me uoce homousij. Quasi uerò ad Christi naturas duas, non ad tres personas diuinas, homousion pertineret? Sed quæ occasio fuit huic sermoni, fortasse non abs re fuerit repetere. Cum ego dicerem, Christum secundum Deitatem esse ubiq;, secundum humanitatem esse uno in loco: ipseq; contrà disputaret, hoc me incommodo urgebat, duos fore Christos, quorum alter sit ubiq;, alter uno in loco. Cumq; responderem, non duos hoc modo Christos poni, sed duas naturas in Christo (quemad modũ cùm Christus dicit, Ego & pater unũ sumus: &, Pater maior me est: non duos Christos facit, sed duas in se naturas esse, diuinam & humanam, secundum illam se cum patre unum, secundum hanc patrem se maiorem esse affirmat) obnitebatur contrà Orichouius, paritatem illam & maioritatem ad proprietates naturarum rectè referri. Sed si fingatur alterum esse ubiq;, alterum uno in loco, an non subiecto hæc duo different? Respondi, subiecti nomen huc accommodari non posse. In diuinis enim subiectum non esse, ubi accidentia non sint. uerùm Personæ nomẽ usurpari hoc in argumento,

neq; tamen personas in Christo duas esse: sed unam, habentem duas naturas. Orichouius contendebat, naturas illas essentialiter unum esse. Negabam ego. Quorsum igitur, inquit, homousion? Non, inquã, ad Christi naturas, sed ad personas Triadis diuinę pertinet, quę essentialiter unũ sunt. ut enim in diuinitate tres personæ sunt unius naturæ: ita in Christo duę naturę sunt in una persona, diuina & humana. Secundũ diuinã naturã hæc ei tribuuntur, esse creatorem, esse ubiq;, esse immortalẽ & impatibilem: secundum humanam, esse creaturã, esse uno in loco, esse mortalem, esse patibilem. Hæc summa ui animi, & contentione orationis uehemẽtissima à nobis agitata sunt, ab Orichouio copiosè & syllogistice de scripta, à me paucis annotata: & tandem Orichouio audiente lecta, Episcopo tradita sunt. Non est igitur Orichouius eius doctrinæ in re Christiana, ut docere & hæreticos conuincere possit. Est hoc munus hominis insigniter docti, qui omnia mysteria ad unguem teneat artis Theologicæ. Sed teneat sanè & principia & conclusiones omnes theologicas: an ei fas est inquirendi in hæreticos, qui ipse & hæreticus sit, & animi impotentissimus? Vetus est uerbum, Turpe esse doctori cum culpa redarguit ipsum. Perdiscat prius Orichouius quæ Theologi sunt, si docere uelit imperitos, cohortari cessantes, conuincere contradicentes: utq; id rectè & ordine facere ualeat, subigat prius affectus suos in ius & potestatem rationis necesse est. Hoc nisi faciat, quid tandẽ ab illo præclari fiet? An non ira, odium, inuidia impellent eum ad inquisitiones istas hæreticales? Quæ certè hominem requirunt nulli culpæ affinem, doctrinis instructum, iudicio sobrium, & contra omnes affectus incorruptum. Ferebatur à multis, qui se ex eo audisse dicebant, scripsisse eum libellum repudij Papæ Romano.

Cur

Cur id: si de necessitate salutis est, ut eius dictis sint audientes omnes? O inconstantiam hominis. Cùm incommodum illi est, discedit à Papa, bellumq; ei indicit: cum commodum, se aggregat ad illum, pugnatq; pro illo. Commodum est igitur aliquod, quod uenatur, si uicerit Fricium. Quod quidem quartum erat, ex ijs quæ 4.
suprà pro causis posita sunt. Et mihi profectò similius uero uidetur, commodis aliquibus inhiare Orichouiũ, persequendo me, quàm uel innocentiæ suæ, uel gloriæ, uel studio in religionem seruire. Aiunt eum pensiones certas à proceribus Ecclesiæ expectare, aut pagum cum prædio fructuoso. Sunt qui dicant, uiam ei illustrem & latam apertum iri ad absolutiones & legitimationes Romanas, ob uxorem obtinendas, si quem ex Lutheranis tanquam in triumpho duxerit captiuum. Me uerò iccirco delegisse, quòd ei imbecillior quidem omnibus uisus sim: sed tamen, quòd sedem Papalem (quod capitale censetur) corrigere studuerim. Eamq; ob causam Orichouium eo ordine Conclusiones suas struxisse, ut in Romano Petro, id est Pio Quarto, constituerit plenitudinem potestatis: id est, alpha & omega. Hic ego libens Orichouium rogauerim, an aliam uiam inuenire non potuit comparandi sibi commoda, quàm ex incommodis alterius? Deinde, si hoc cum animo suo constitutum habuit, ut mihi dedecus expeteret: cur non legem à Christo præscriptam seruauit, ut prius me argueret inter me & se solum? Si eum non audissem: ut acciperet secum adhuc unum aut duos. Si & hos audire neglexissem, ut tum primùm diceret Ecclesiæ. Si Ecclesiam audire contempsissem, ut tum primum essem hæreticus, & mensa Episcopali indignus, & tanquam ouis pestifera uitandus. Hæc enim formula est Orichouiana denunciandi hæreticos. Ne-

que uerò hunc animum lacerandi me nunc primum sumpsisse uidetur Orichouius. Narrauerunt mihi homines probatæ fidei in conuentu Petricouiensi, anni Christi 1555, multa eum in priore libro de Ecclesia, qui tum recens à librario prodierat, multa item in libris de Rep. animo infesto reprehendisse. Atq; ita tũ Petricouia discessisse, ut calamum mihi minitaretur, quo me meaq; scripta impugnaret. Quod quidem ab eo si factũ fuisset, quis ei crimini dedisset? Licuit semper in Rep. uiris doctis, erroribus obuiam ire, eosq; scriptis notare. Quod si faciant modestè, cum ratione & studio inuestigandi ueri, quis intelligens non probet eorum operas? Si uerò opus efficiãt Rep. & Ecclesia dignum, quis non dignissimos laude iudicet? Hoc uerò Orichouius facere omisit: sed cùm Opus meum auctius in lucem prodire uidisset, denuò in me exarsit. Velim igitur mihi respõdeat, cum sibi decretũ fuisset, per ualuas templi & curię Episcopalis, hoc est per ora hominũ traducere me, cur non seruauit legẽ à Christo propositã? Non iam postulo, ut pia aliqua affectione cũ fratre, hoc est Christiano primùm ageret: tametsi hoc in lege illa cõprehẽsum est. non ut humanitatis rationem aliquã duxisset, quę tamen propria est ueræ eruditionis. non, ut respectũ habere uel ad Episcopũ, cui tum inseruiebamus: uel ad illã testificationẽ tũ gratitudinis suæ, quòd ipsius honorificã mentionẽ in scriptis meis feciſſem, matrimoniũq; eius quadã in epistola laudassem: tũ amoris in me sui, quam Episcopo præsente cum quadam mei commendatione pridie eius diei quo me proscindere cœpit, fecerat. Illud in præsenti postulo, cur ignominiam & dedecus mihi propagando, legem Euangelicã non obseruauit? Cur indicta causa, significatione nulla facta, agere mecum sic uoluit, ut arbitrio suo & posuerit conclusiones,

& con-

& cõditiones proposuerit, quibus ni parêrem, notorius hæreticus essem? Qua fronte apud notarium protestatus est, me à se (quod nunquã erat) solenniter prouocatum esse: mihiq; ad noticiã prouocationem ipsam (quod ipsum quoq; non erat) deductam: meq; non respondisse, in contemptum (quod neq; factum, nec cogitatum, nec somniatum à me est) & uilipendium Archiepiscopi? Quis satis mirari queat formulas & decreta ab Orichouio tradita, quibus uult omni ratione differendi omissa, omni spacio deliberandi sublato, ni subscribatur, hæresim committi? Sic enim ille: Si Andreas Fricius Christianus & catholicus est, infrà scriptis conclusionib. subscribat. An hoc pro iure dicit, an tantùm pro imperio? Addit: Si Fricius dissentit, nec subscribit intra ortum & occasum solis hodie, est notorius hæreticus. An hoc in ratione & ueritate, an in sola Orichouij libidine constitutũ est? Formula uerò illa, Episcopali mensa indignus, tanquam ouis morbida uitandus, ex qua lege sumpta? Quid autem sibi uult, cùm suas conclusiones probare uult contra Fricium? an quicquid dixerit Fricius, contra eum dicturus est? Academico more instituit agere. Nec enim scit quid ego dicturus sim, & tamen contra me intendit probare Conclusiones suas. Cur autem nunc Archiepiscopum uocat legitimum prouinciæ Poloniæ iudicem, & loci Volborienſis diœcesanum: cùm olim sua in causa detrectaret iudicium Premislienſis Episcopi, sui lociordinarij? Quid uerò hoc est, quòd coram Archiepiscopo probare ipse uult Conclusiones suas: coram autem Officiali Fricium respondere uoluerit? Alius scilicet est iudex actoris, alius rei. Quare autem pro conuicto habere uult, quem nunquam accusauit? Quid si responsionum defectu apud Officialem damnatur Fricius, an non

non probationum defectu apud Archiepiſcopum abſolueretur? Maior enim contumacia actoris quàm rei cenſetur eſſe. Cur autem non potius elegit Academiam aliquam, in qua Theologia doceretur: in qua homines eſſent non tantùm Theologiæ periti, ſed qui tenerent rationes inquirendi & inueſtigãdi ueri: qui in utramq; partem diſputando ferre poſſent rectã ſentẽtiam? Non hoc dico in contemptum & uilipendium Archiepiſcopi, ut Orichouius iniurioſè proteſtatur apud notarios. Verſatur Archiepiſcopus cum Epiſcopis in magnis rebus publicè priuatimq;. Religionis iudices in Academijs ſemper quærebantur: non apud lociordinarios, nec apud Officiales oppidanos. Audiui dici, Iacobum Ilzenſem à uicario lociordinarij Cracouienſis Nicolao Bedlenio abhinc ferè annos triginta hæreticũ pronunciatum eſſe. eoq; in iudicio Theologorum Cracouienſium partes primas fuiſſe, quorum ex ſententia totum illud iudicium factum eſſet. Orichouius facit hæreticos ſuo arbitrio, cum admiſsione Officialis Volborienſis. O' præclarum iudicium. Fortaſſe deſperabat ſe alibi inuenturum tam facilem admiſſorem. Cur autem quod Eccleſiæ erat, Orichouius præſumpſit? Hoc enim eſt in lege Euangelica: Si non audierit Eccleſias, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Non eſt igitur Orichouij, hæreticos facere, ſed Eccleſiæ. Ac ne Eccleſiæ quidem, niſi ordine & gradibus ſeruatis, à Chriſto inſtitutis. Orichouius uerò quid? Si non ſubſcripſerit Fricius, eſt hæreticus. Quid autem Orichoui, ſi contradicat, & quidem cum ratione & authoritate, an non feras contradicentem? Atqui tyrannorum eſt, nullam pati contradictionem: ſed niſi quis ſubſcribat illorum libidini, morte mulctare. Tu uerò indicta cauſa inauditum Fricium hæreticum eſſe,

esse pronuncias, nisi tibi subscribat? Quantum abest ab eo, quin mortem miniteris? Quomodo autem homo intelligens conclusionibus subscribat, quæ latè pateant: quæ uno in sensu ueræ esse possunt, alio in sensu minim ueræ? His tu uis à me subscribi, à solis ortu ad occasum: nec spacium deliberandi dare promittis, ut fit in causis difficilibus. Non hæc tibi, Orichoui, ratio, non ius, non æquum: sed animi tui libido, ac potius uesania suggesit. Non minus quæstionis habent & illa. Cur Officialis, imprudente Fricio, Conclusiones cum decretis Orichouij in acta sua inscribi, & ad ualuas Ecclesiæ publicari permisit? An licet chartas dentatas, non citato, non audito eo in quem scripta sunt, in tabulas publicas referri, & in locis publicis uulgari? Cur autem notarius rebus incompertis subscribere iussus? Vnde enim sciuit de prouocatione, de significatione, de contemptu, de quibus Orichouius protestabatur? Mira uis Orichouij fuit, cum hosce homines nactus esset, qui ad eius arbitrium nutumq; totos se accõmodarent, Sed existit quæstio alia non minus difficilis: cur Orichouius, cum ad Episcopum ueneram questũ hanc iniuriam, ex cœnaculo in quo eram, ipseq; cum hospitibus ingressus in illud fuerat, discesit, uix uno facto uestigio? Cur item Episcopi nomine ad querelam audiendam uocatus, uenire recusauit? An non æquius erat, coràm agere mecum, quàm me imprudente malum mihi moliri? Voluit fortasse apud Pontificios inire gratiam, mei insectatione. Cuius igitur hoc est pectoris, ut gratiã ineas apud unum quempiam, alium ad ignominiam & dedecus uocare? Ad Conclusiones ipsas ueniamus. Proœmium hoc est: Experimentum uerorum sermonum est, ut concordent sensatis. Quorsum id? an de sensatis sermo futurus

est? an potius de intelligibilib.? Haud scio an sensu comprehendi possint, quæ hic dicuntur. Rationis sunt potius, quàm sensus. Latinius fortasse diceretur sic, Sermo concordat cum sensatis: quàm omissa coniunctione CVM. Cur singulis conclusionibus addatur QVOD, non satis intelligo. Cur autem uocat Conclusiones, quarum probationes præmisit nullas? Nam hoc quidem præposterum est, ut hodie hic scribas conclusiones, quarum probationes addas apud Archiepiscopum, nescitur quando. De conclusionibus ipsis quid sentiam, dicam breuiter. Ordinem sacerdotalem legitimum esse in Ecclesia, quis nescit? Certè est ordo sanctissimus, si sit in officio: sin minus, quo charactere sit insignis non uideo. Ac, uerè ut dicam, quid sit character huiusmodi, non intelligo. Vellet fortasse Orichouius adhuc insignis esse hoc charactere: quamuis ab officio, ob uxorem, suspensus sit. Verùm character ille dicendi scribendique facit eum insignem, quē exercet: nō ille sacerdotalis, qui officio deserto, quo insignis fiat, non habet. De iudicio lepræ & sanguinis, de concilio legitimo quid sentiam, in libro meo de Ecclesia scripsi. Non opus erat, hæresis denunciandæ causa has conclusiones ualuis affigere. De ministerio sacerdotum, de sacrificijs, de hostijs, de corpore & sanguine Christi, dixi copiosè in libro. Quòd dicit ordinem sacerdotalem in concilio legitimè congregato non errare, nec errare posse: utinam uerum sit quod dicit. Os huius ordinis dicit in concilio Viennensi, se superioritatem ad Imperium habere: & potestatem succedendi Imperatori, uacante Imperio: idque ex plenitudine potestatis, quam ei Christus in persona Petri concessit. Non'ne eâdem lege diceret, se potestatem habere succedendi cùm Regibus alijs, tum regi Poloniæ? Rogentur

gentur ordines Regni, an ferent huiusmodi successo rem? Ferre quidem deberent, si quidem uera sunt quæ ab isto ore dicuntur: præsertim cum ei obedire, sit de necessitate salutis. Vbi igitur illud ualet: Reges gentium dominantur in eas, uos autem non sic? Hic ordo in suo concilio calicem laicis, matrimonium presbyteris ademit. Errauit'ne? Si ais, cur concludis non errare, nec errare posse? Si negas, cur istas interdictiones damnare soles? Quod si dicas, hoc concilium nō fuisse legitimè congregatum: cur igitur istæ interdictiones tot secula ratæ & firmæ habentur? Cur non repudiantur, quæ non legitimè facta sunt? Cur tu Orichoui, absolutiones Romanas ob matrimonium tuum expetis, siquidem contra Concilium legitimè congregatum nihil commisisti? De concilio Tridentino, quod nostra memoria bis coactum erat, uelim respondeas: Erat'ne legitimè congregatum? Si non, cur ipsum iactare audet, se sacrosanctum esse, œcumenicum, generale, in spiritu sancto legitimè congregatum? An non deceret populum Christianum, ut hos impostores tanquam pseudoprophetas desereret? Si etiam, cur ei ordo sacerdotalis Hierarchicus non obtemperat? Decreuit illud concilium ut omnes Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & omnes alij Ecclesiastici Prælati, teneantur per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum IESV Christi Euangelium. Præstat'ne hoc ordo Hierarchicus? Si non, cur Hierarchicus dicitur? Velim etiam respondeas de synodo Louicensi, Archiepisco po Dergouio celebrata, Papę Legato pręsente: erat'ne legitimè cōgregata? Si non, cur cōgregabatur? An cōgregationes ad seminandos errores sunt ferendę? Si etiam, cur quædam sanctiones illius à multis uiris do-

ctis, & ab ipso Orichouio sunt improbatæ? Quanto magis decet homines Christianos suppliciter à Deo petere, ut peccata nobis ignoscat, nosq; liberet à malo, quàm de cœtibus nostris glorioſè sentire, quemadmodū sentiebant qui ita dicebant: Non peribit lex à sacerdote, consilium à prudente, uerbum à propheta. Perijt lex ab illis, consilium & uerbum. Magis enim nitebantur suis concilijabulis, quàm uerbo Dei. Necq; negauerim, cœtus piorum magnifaciendos esse, Ecclesiamq; Dei esse columnam ueritatis: uerùm multi sunt Ecclesiæ titulum sibi arrogantes, cum nihil minus sint quàm Ecclesia. ad quos dicit Dominus: Nolite confidere uerbis mendacibus, dicendo, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Acriter igitur uidendum, an Ecclesia sit Christi, quæ sic dicitur: & spiritus probandi, num ex Deo sint. Etsi quid seu errore seu malicia peccauerimus, à Deo petenda peccati uenia. Postrema conclusio hæc est: Romanus Petrus, ideſt Pius quartus, uicarius est Christi, successor Simonis Petri, pastor pastorum, ac solus regni cœlorum clauiger, primatum in Ecclesia tenens, plenitudinem potestatis habēs, cui obedire est de necessitate salutis. Sic Orichouius: ad cuius experimentum, quæ dixit, aptanda sunt. Quomodo hic primatus & hæc potestatis plenitudo concordat cum sensatis? Omnino Pius quartus, si uult esse quod dicitur, matrimonium presbyterorum & laicorum calicem damnet necesse est: quorum utrumq; Ecclesia catholica, etiam Orichouio authore, agnoscit. Quomodo igitur primatum & plenitudinem istam obtinet? In hoc ne consistit primatus & plenitudo, ut quæ Christus tradidit, ea mutet Papa, ac nouas Ecclesiæ præscribat leges? quem ferre, quantumuis malum, Ecclesiæ sit necesse? Cui uel animas in Orcum cateruatim ducenti,

ducenti, reſiſtere nemo debeat? Qui oſculandos pedes uniuerſis mortalibus rectè porrigat? Hæc Pium quartum facere oportet, ſi quidem muneri cathedræ ſuæ deeſſe nolit. An etiam fecit Simon Ionaides? Si non fecit, cur ita dicit Orichouius: Romanus Petrus, id eſt Pius quartus? Cur eum facit uicarium Chriſti, ſucceſſorẽ Petri? Bernardus ſcribẽs ad Eugeniũ papã, pompaq́, ſplendore & lictoribus, quibus utebatur, illi exprobratis: In his (inquit) ſucceſsiſti Conſtantino, non Petro. Non'ne ſi Pius quartus, interdictiones, quas dixi, tuetur, & alia quæ commemini profitetur, iuſtius audire debet: In his nec ſucceſsiſti Petro, nec uicarium fidum præſtas Chriſto, ſed agis quiduis aliud? Inſpice mihi, ſi placet, Papas, ut quidem ſe geſſerunt noſtra & patrũ memoria. Confer illos cũ Petro Galileo, cæteriſq́ Apoſtolis. Docebant illi perpetuò, omnia ex Chriſti inſtitutis adminiſtrabant: erãtq́ in propagãdis reb. cœleſtibus aſsidui. Papę uerò quid? Quis eorũ mille retro annos erat, qui Euangeliũ doceret, aut ſe ad Chriſti normã gereret? Qualis igitur hæc ſucceſsio illorum in locũ Apoſtolorum? Succedunt Papæ in opes & amplas poſſeſsiones à Conſtantino, ut ferunt, donatas. Rectius igitur Conſtantini, quàm Petri, ſucceſſores dicuntur. Quamobrem dominationem & imperium politicum ſibi uſurpant, in ambitione toti ſunt occupati, negociiſq́ mundanis ſunt implicati: bella gerunt, igne & bello conſequuntur quod doctrina & uitę exemplo nequeunt. Cumq́ munus docendi & rerum ſpiritualium curam à ſe abiecerint, ueſtium & ornamentorum uanitatem in Eccleſiam inuexerunt: ut tantùm haberent, quo ſtultum populum in ſuis cœtibus retinerent. Auro, argento, ſplendore incredibili ſacris peragendis utuntur. Veſtis illorum non illam Chriſti ueſtem re-

fert, in qua passus est, squalidam & cruentam: sed est acu picta auro, argento, lapidibus preciosis redimita. Cruces illorum, non crucis Christi instar, cruore tinctę sunt: sed ex argento sculptæ, auro, gemmis, margaritis ornatæ. His rebus an non magis oculos & mentes populi conuertunt ad splendorem mundanum, quàm ad passionis Christi meditationem? Quid enim facit stultus populus, quid molles mulierculæ, cùm uident his se rebus uenditare eos qui se in locis Apostolorum sedere gloriantur? Apostoli & uiri sancti omnem splendorem uitarunt, tanquam rem Christiano indignam. De Christi enim spiritu hauserunt, suauitatem donorum cœlestium gustarunt: præ qua omnia mundana erant eis amara. Nostri Pontifices, quantum operæ ponunt, quantum sumptus faciunt, splendore suo ostentando? Magnum est argumentum, eos gustum cœlestis splendoris non habere, qui mundano tantopere delectentur. Solent ad nos mittere Legatos suos, & paucis his annis tres apud nos erant. Num quis eorum pro suis Papis munus Apostolicum præstitit? Si isti pastores sunt, an pascunt docendo, an uitæ exemplo, an neutro? Hos Orichouius concludit uicarios Christi esse, Petri successores. Ostendat conclusionem suam, si uera est, concordare cum sensatis, iuxta normam suam: doceat id Scripturâ, sed diuina & catholica. Si non potest, cur uult Fricium, si catholicus sit, suæ subscribere conclusioni? Imò si catholicus est Fricius, nunquam faciet. Si faciet, nec catholicus erit, nec Christianus. Non est Christiani hominis, imò ne hominis quidem est, in quo contraria uideas exempla doctrinæ & institutis Christi, eum pro uicario Christi, pro successore Petri agnoscere. Addit Orichouius: Papam primatum & potestatis plenitudinem habere. Ostendat & id concor-

concordare cum ſenſatis. Certè Græcia & Aſia uix hoc agnoſcunt. Audiuimus Eccleſias earum laicis calicem, presbyteris matrimonium concedere: non conceſſuræ, ſi primatui & plenitudini Romanæ ſubſcribendum putarent. Ruſsi tui, Orichoui, dicuntur Latinis maledicere, & eis diras imprecari: non facturi, ſi ad authoritatem iſtius primatus & plenitudinis ſe conferrent. Africanum concilium, in quo erat Auguſtinus, excuſsit Romani pontificis authoritatem: eumq; prærogatiuam ex decretis Nicænis allegantem, falſi conuicit. Illos igitur pronunciet Orichouius eſſe notorios hæreticos, & menſa Epiſcopali indignos? Addit: Cui obedire, eſt de neceſsitate ſalutis. Concordat'ne hoc cum ſenſatis? Dicat, ſi audet, ſe obediſſe Romano papæ, cum ſacerdos exiſtens duceret uxorem: cum aduerſus Syricium Romanum de lege cœlibatus in Concilio haberet orationem: cùm matrimonium Ioannis Laſcij, ſummi & ſpectati uiri, laudaret: cum Syricium Papam, Dei aduerſarium, hoſtem naturæ, prædonem, peſtem & perniciem honeſtatis uocaret. Putas tu Orichoui, aliquem tam rudem eſſe, qui te ex animo concluſionem iſtam ſcripſiſſe putet: cuius contrarium & ſcripſeris, & feceris? O miſerandum te, qui tam abſurdè contra tuam ipſius conſcientiam concludas. Quorſum enim illud, cùm Papas uocas dedecus ac turpitudinem ſempiternam cleri? cum Epiſcopos regni proditores, hoſtes patriæ, & exploratores: qui pro patria non modò uocem, ſed ne uultum quidem contra Papæ tyrannidem ferunt liberum? qui gregibus cucullatorum canonicorum'que ſtipati, publicationem Regni ac bellum Crucifericum Regi miniten-
tur, ſi uel tantillum Papam, tyrannum eorum, læſe-
rit.

rit. Quos Papa uelut locustas quasdam ex sinu suo in terras nostras effundit, ut uberrima quęq; Regni depascant, atq; consumant? Alloqueris etiam sic Regem: Aspice hanc coniuratorum in te turbam omnium: & quàm frequens illa, quamq; dira in tuo Regno sit considera. Infer oculos in abbatias, in conuentus, in capitula, in synodos, in concilia. Quot homines ibi rasos, tot hostes in te coniuratos uideas. Qui nihil agunt, nihil moliuntur, nihil cogitant, nisi ut tu cum illis unà seruitutem hanc tetram atq; duram seruias, &c. Et infrà ita scribis: Hunc enim scopum, hunc finem atq; metam uitæ (ad quam isti decurrunt) proposuisse sibi uidentur, ut in rerum omnium affluentia atq; copia, ueluti probè pasti porci, lautè semperq; beatè cum scortis uiuant, & ad gehennæ uoraginem in uita hac saginentur, &c. Et infrà consulis, ut exemplo Hispanorum & Venetorum, Pontificum genus ex ordine Senatorio remoueantur. Hungariam enim sacerdotum consilijs euersam esse. Doceant (inquis) & baptizent in Ecclesia: non ciuitates curent, nec Respub. gubernent. Quòd si se negotijs huius seculi implicare pergant, militiæ Christi nuncium remittant necesse est. Tandem proponis has conditiones Episcopis, ut aut iugum seruile Papisticum excutiant, quod illis eorum coepiscopus Papa Romanus per uim & fraudem imposuit: aut si seruitutem hanc seruire malunt, desinant Reip. nostræ ciues uelle uideri. Laudas etiam Orientis Episcopos, qui iurare in uerba huius bestiæ noluerunt nec characterem eius acceperunt, nec de calice fornicationum eius biberunt. Itaq; schismatici à Pharaone isto Romano pronunciati sunt. Postremò prędicis Papæ interitum, cum in stagnum sulfureum mittetur: in quo conduplicentur illi pœnæ secundum opera eius. Agnoscis

uerba

uerba & ſententias tuas Orichoui? Quis igitur credat te nunc ex animo loqui, cùm Papæ primatum & plenitudinem poteſtatis tribuis: cùm hierarchicum ordinem tantopere commendas, quem prius tot maculis aſperſeris, ac in gehennam præcipitem dederis? Certè qui Papam cum ſuis creaturis increpat, illius authoritatem ex Polonia, iſtorum ordinem ex ſenatu exigit: deinde inuerſis uiribus, cum utriſque ſocietatem init, laudibus eos ad cœlum effert: an à ſeipſo non diſcedit? an non ex eodem ore flat dulce & amarum? Neq; uerò ueriſimile eſt te, Orichoui, melioribus animaduerſis priora dānare. Nam & palàm retractaſſes, quod prius dixiſſes: & rationibus fuiſſes uſus retractationis tuæ, quas affers nullas: & ſoli ſtuduiſſes ueritati, ſine ullius inſectatione. Quid enim opus eſt, damnandis tuis alterum inſectari? Te ipſum potius inſectatus fuiſſes: tibi à ueritate uim factam eſſe oſtendiſſes, ut diuerſum ſentires: tibi pœnitentiam indixiſſes: errorem tuum publicè faſſus eſſes, qui publicè peccaueris: culpæ ueniam ab ijs deprecatus fuiſſes, quibus offenſioni eſſes. Omnibus denique fidem feciſſes, te in hac ſententia, quam iam adamaſſes, ac concluſionibus tuis expreſsiſſes, perpetuò permanſurum: non tibi eam nec odium alicuius, nec amorem ereptu-rum. Veritatem ipſam quaſi manus tibi iniecisſe, ut uel uitæ periculo ea ſentias, loquaris, ſcribas, quæ Romanum Petrum oſtendant non iam Antichriſtum eſſe, non beſtiam, non tyrannum, ut olim dicebas: ſed Chriſti uicarium, Simonis hæredem, paſtorum paſtorem, primũ ac potentiſsimum. Sed non uerbis tantùm te id profiteri opotrtere: re quoq; ipſa, quod prius per errorẽ cõmiſsiſſes, id nunc per pœnitentiam corrigeres. Vxorem igitur dimitteres, ſi tuę ſalutis curam habere, ſi obediens ſummo paſtori uideri uelles. Hoc niſi facias, quis te cre-

dat seriò loqui, & ex animo? Quid enim nunc agis? Ponis conclusiones, quas uis probare apud Archiepiscopum. Interim protestaris solenniter, eis à Fricio non esse responsum, nec apud Officialem, nec alibi. Quæ (malùm) insolentia hæc est, ut alium sumas iudicem probandis tuis: alium des responsionibus meis? Quòd igitur insolenter agis, quòd conditiones proponis tuo arbitrio ad me opprimẽdum, quòd odiosè notas me chartis & dictis inclementibus, argumenta sunt magis ostentatoris efferati, ex aliena calamitate gloriam emolumentum'ue quęrentis, quàm doctoris Euangelici, errantem ouem ad pascua Dominica inuitantis. Doctoris Euangelici est, prædicare sermonem, instare tempestiuè intempestiuè: uerum tamen cum omni doctrina & lenitate, ut inquit Paulus. Quid horum præstas Orichoui? Scribis conclusiones, formulas componis tuæ disciplinæ: quibus nisi quis pareat, hæreticus sit, & mensa Episcopali indignus. Non'ne hoc est seruitutem inducere in liberum populum? Fortasse hæc sumpsisti ex curia Romana, ubi nisi quis categoricè respondeat ad inquisitorum rogata, per uerbum Placet uel Non placet, mox hæreticus pronunciatur. Verùm ut sis sciens, sunt scripta tua in manibus hominum contra Papas, eorumq; tyrannidem. His uel te inuito utentur, qui hunc primatum, ut hodie usurpatur, & hanc potestatis plenitudinem à suis ceruicibus depulsam uelint. Pro libertate in illis scriptis pugnabas, hanc amant homines nostri. Nũquam persuadebis, ut seruitutem uolentes seruiant: uel si diuersum quid scripseris, quod tamen sine dispendio famæ & existimationis tuæ non feceris. Certè fidem scriptis tuis in posterum derogares. Quid illud? ferunt te dixisse, à me matrem tuam meretricem uocatam esse: cumq; rogareris, quî id fieret? respondisse, quòd Eccle-

Ecclesiam uocauerim mercetricem. Velim bona fide dicas, audiuisti id dici à me, an quis tibi alius de me dixit? Si audiuisti: cur non mox coarguisti? Si alij tibi dixerunt: perhibe testimonium. Me quidem tecum de causis religionis ne uerbum quidem commutasse, nisi Episcopo præsente, tute testis es. Rogaui igitur Episcopum, num hæc uox ex me audita illi esset? Negauit omnino. Ego uerò Deum mihi malè propitium uelim, si id dixerim: quod haud scio an in illis concertationibus nostris cogitauerim. Cur igitur hoc in me coniectum? Equidem si hoc à me dictum fuisset, decuit te, quod intra parietes, arbitris semotis, disceptando dictum esset, nec foràs efferre: & in bonam partem interpretari. Nam nec illud ignorare debebas, ecclesiam Hierosolymitanam à Deo meretricem uocari: & quomodo id accipiẽdũ sit, eruditi nõ ignorant. Sed hoc missum facio. Illud quæro, cur quod à me nec dictũ, nec auditum, nec cogitatum est, hoc fingere audes? Fortasse uolebas apud idiotas odium conciliare mihi, tibi beneuolentiam, qui partes susceperis matris tuæ defendendæ contra sermones impuros Fricij. O' fidem tuam Orichoui. Hanc debui pro mea in te obseruantia, quam & in scriptis meis & in sermonibus semper præ me tuli, & officijs quibusdam testatus sum: procp tuo in me amore, quem Episcopo præsente testatus es, abs te referre gratiam? hanc uicem recipere? Quod nec indoctissimus aliquis papista, nec aliquis eorum qui mihi infensi sunt adscripsit, hoc tu crimen affingis: idcp ut hac uia ingrediaris ad inurendam hæresim Fricio? Sed redeo ad Papas, quos tu in Orcum ferè detruseras: nunc in Pio quarto, loco & potestate Christo pares facis. Si Pius tanti, cur Paulus Antichristus? An non ordo idem utriusque, idem uicariatus, eadem successio,

eadem plenitudo poteſtatis? Fortaſſe uitia Pauli talia erant, ut ordine indignus haberetur. Atqui Petrus Romanus dicit ſe à nemine argui debere, uel ſi animas cateruatim in Tartara mittat. Cur igitur tu Paulum quartum, qui & ipſe Petrus Romanus erat, moues ſuo ordine, ob res multo leuiores? Quid autem? an non perpetuitas ſucceſsionis Apoſtolicæ interrupta tibi uidetur, dum in perſona Pauli quarti Antichriſtus regnabat? An epiſcopi & ſacrifici omnes per orbem Chriſtianum non ab Antichriſto ordinati uidebuntur, quicunque à Paulo quarto ordinati ſunt? Tum uerò, quo ore arguis primam ſedem, quæ à nemine iudicari debeat? Iam Paulus ille Antichriſtus, an non errabat in fide? Quod ſi errabat, actum eſt igitur de religione Chriſtiana, quæ tanquã ædificium, fundamento euerſo, ruat neceſſe eſt. Sed de Pio dicamus: Quæ uirtutes Pij ſunt, quæ has tantas laudes tuas commeruerunt? Initia hæc ſunt Pontificatus Pij, ô bone, ex quibus difficile conijcias, bene an malè de illo ſperandum ſit. Quid ſi tu abſolutiones ab illo non impetraueris, de quibus aiunt te laborare? An eum hoc in primatu, hacq; in plenitudine feres? Ego uerò quid ſentiam de Pontificatu ſummo, in libro dixi: & quidem præclarius, quàm tu in tuis concluſionibus poſuiſti. Volebas fortaſſe, ut uerbo uno uel affirmarem, uel negarem, ut occaſionem haberes exclamandi: Victus es Frici, hæreticus es Frici. Verùm non ita reſpondendum eſt ad ea quæ tu modò poſuiſti. Ornaui ego Pontificatum & totum ordinem Hierarchicum ueriſsimis laudibus. Ea quæ illi non conueniunt, ab illo remoui, non quidem ſine ratione & authoritate. Ea debebas in manum ſumere: quæ à me dicta ſunt, confutare: & ueluti iuſto prælio mecum confligere, ut iuſtam uictoriam reportares, meq; ante te tan-

te tanquam in triumpho duceres. Nunc agere maluisti leui brachio: & quasi stans in uno pede, conclusionibus rem expedire: & quidem Officiali iudice. Qui qualem se in hac causa præstitisset, argumento est sua admissio publicationis rei nouæ: eiusdemq; exempli pessimi. En habetis Romani proceres proselytum uestrum. Hic obediens deinceps Romano Petro, id est Pio quarto, de necessitate salutis erit. Hic tuebitur authoritatem Romanæ sedis. Hoc cum faciet, illud etiam sequetur, ut decretales à se improbatas laudibus efferat: in primis autem eam, in qua Pontifex affirmat se dominiũ habere Romani Imperij: & quidem à Christo traditum. Quid deinde? Vxorem dimittet. Hic certè restabit actus pœnitentiæ ueræ. Laudationes igitur scribet cœlibatus, palinodiam canet priorum errorum. Hoc duce, magistro & inquisitore, hæretici erunt, quicunq; à Papistis dissentient: mensa Episcopali indigni iudicabuntur: uitandi ab omnibus Christi fidelibus, tanquam oues morbidæ & pestiferæ. Mihi autem quid fiet? Templa adeunda erunt: Missæ audiendæ, diui diuæq; orandę, uota facienda, sacrificia obeunda, ritus lustrales obseruandi. Quid tum de nobis, de me inquam & Orichouio, sentient homines? quid loquentur? An non hostes exilient lætitia, hoc nec opinato utriusque dedecore, istaq; apostasia? Amici autem an non Deo supplicabunt, ut ad sanitatem redeamus, mentemq; pristinam recipiamus? Et utrique quidem inconstantia: Orichouio etiam uel præmiorum cupiditas, uel studium demerendi Pium, adscribetur. Et certè aliquid esse oportet, quod eum in hanc ferocitatem impulerit, ut hac insolentia in me uteretur. Non illi erat respectus iuris communis, non processus iudiciarij, non Euangelici præcepti, non perso-

næ quam tenet, non loci in quo hospes erat, non Episcopi ad quem ad quiduis aliud uocatus uenerat, non humanitatis, non studiorum doctrinæ in quibus uersatur, non amoris quem in me præseferebat, non obseruantiæ meæ quam semper in eum testatus sum. Horum ratio habita nulla est ab Orichouio. Nihil ei antiquius fuerat, quàm ut me pessundaret. Hic est proselytus uester, Romani proceres. Hoc duce triumphate, quàm diu stat in sententia. Nam bilem ei si moueritis, haud diu fruemini his bonis illius, Valete: & quàm diu licet plaudite. Nam uictus est Fricius ab Orichouio.

Volborij. 1561. mense Aprili.